



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

352. Gloriosissima Christi in cœlum Ascensio.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

CHRISTI REDIVIVI. 328

ijs, qui viderant eum resurrexisse, non cre-
diderunt, *Marc. 16. v. 14.*

I. Et dixit eis: Euntes in mundum uni-
versum, prædicate Evangelium omni crea-
turæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit,
salvus erit: qui verò non crediderit, conde-
mnabitur. *Marc. 16. v. 15. & 16.*

II. Signa autem eos, qui crediderint,
hæc sequentur: In nomine meo dæmonia
ejicient: linguis loquentur novis: serpentes
tollent: & si mortiferum quid biberint, non
eis nocebit: super ægros manus imponent,
& bene habebunt. *Marc. 16. v. 17. & 18.*

MEDITATIO CCCLII.

*Gloriosissima Christi in cælum
Ascensio.*

I. **E**T Dominus quidem Iesus postquam
locutus est eis, *Marc. 16. v. 19.* eduxit
eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus
suis benedixit eis. *Luc. 24. v. 50.*

II. Et factum est, dum benediceret illis,
recessit ab eis, & ferebatur in cælum. *Luc.
24. v. 51.* Assumptus est in cælum, & sedet
à dextris Dei. *Marc. 16. v. 19.*

III. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ie-
rusalem cum gaudio magno: & erant sem-
per in templo, laudantes & benedicentes

322 GLORIA IESU

Deum. *Luc. 24. v. 52. & 53.* Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. *Marc. 16, v. 20.*

MEDITATIO CCCLIII.

*Anacephaleosis apparitionum Christi,
ex Actis Apostolorum.*

I. PRIMUM quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit IESUS facere, & docere, usque in diem, quâ præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. *Lucas Actor. 1. v. 1. 2.*

II. Quibus & præbuit seipsum vivum, post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. *Act. 1. v. 3.*

III. Et convescens, præcepit eis, ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum: quia Ioannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. *Actorum 1. Vers. 4. & 5.*

ME-